Keil, Heinrich
De Plinii epistulis
emendandis disputatio

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS
PRORECTOR
D. RODERICUS STINTZING
IURIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS
CUM
PROCANCELLARIO
RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO
SUCCESSOREM SUUM
CIVIBUS ACADEMICIS
COMMENDAT.

PRAEMISSA EST
HENRICI KEILII
DE PLINII EPISTULIS EMENDANDIS DISPUTATIO.

ERLANGAE
TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.
MDCCCLXV.


LIBRARY
AUG 16 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

Cum ante aliquot annos Plinii epistulas librorum manu scriptorum auctoritate recensitos ederem, illud maxime secutus sum, ut pravas librariorum et antiquissimorum editorum mutationes, quibus priora exemplaria corrupta erant, removerem et scripturam ad incorruptam librorum manu scriptorum fidem revocarem. nam quamvis multis vitiis codices Plinii corrupti sint, tamen propter satis antiquam, ut videtur, stirpis diversitatem et libri vetustissimi, ex quo omnes ducti sunt, probitatem non ita multis locis accidit, ut vitia antiquissimo tempore facta ad omnes pariter propagarentur, sed ita suis quisque vitiis laborat, ut plerumque quae in alio peccata sunt fide corrigantur aliorum. itaque non tam in emendandis iis quae ante eorum librorum qui nunc extant memoriam corrupta sunt neque possunt iam nisi coniectura sanari, quam in diversis codicum scripturis recte aestimandis atque eligendis summa artis in hoc scriptore versatur. auget autem eius laboris difficultatem haec maxime res, quod libri quibus in ea re utendum est non solum vulgari scribentium neglegentia et socordia, quae facile possit in uno quoque adhibitis aliis cognosci, sed etiam foedissimo vitio, quod veterum scriptorum libros commaculavit, interpolatione et licentia librariorum corrupti sunt. neque enim iis libris, qui recentissima aetate scripti sunt, pravum istud librariorum studium continetur, sed antiquo tempore ortum omnes occupavit et diversis modis alium alio loco corrupit. quare saepe difficile est intellectu, quid quoque loco in magna scripturae discrepantia genuinum sit, quid neglegentiae vel libidini librariorum debeatur. atque hoc est illud, in quo maxime ab iis qui olim in his epistulis emendandis operam collocaverunt peccatum est. nam cum paucorum codicum vel veterum editionum auctoritatem sequerentur neque quae esset universa omnium librorum ratio perspectum haberent, fieri non potuit quin blanda interpolatae scripturae specie capti vel unius codicis auctoritate in errorem inducti saepissime ea quae ex temeritate librariorum et editorum profecta sunt sequerentur et falsa illorum inventa pro genuinis scriptoris verbis amplecterentur. haec igitur levitas et inconstantia ut vitaretur, ante omnia origo et natura codicum describenda erat, quo certius quae uni cuique fides ha-

benda esset adpareret. quamquam ne sic quidem tam certa iudicandi norma inveniri potuit, ut nullus errandi locus relinqueretur. nam multa in hoc genere per se ambigua sunt et incerto potius de uno quoque loco iudicio, quam certis legibus e codicum ratione petitis definienda. itaque nunc, cum denuo ad Plinium studium olim intermissum converti, non solum confirmanda quae olim recte constitueram, sed etiam nonnulla, de quibus non satis recte iudicatum esse postea intellexi, corrigenda esse video. sed eam operam nunc ad priorem epistularum partem, quae quattuor libros primos et sex epistulas libri quinti complectitur, quoniam in hac parte diversa a reliquis est codicum ratio, pertinere volo, tametsi pauciora et leviora de hac parte quam de reliqua adnotanda habeo. et de codicibus quidem in praefatione editionis dictum est. cuius disputationis summam hoc loco repetere eaque quae ad hanc quaestionem, in qua nunc versamur, stabiliendam necessaria sunt argumentis confirmare placet.

Unus igitur superest codex, qui novem epistularum libros continet, Mediceus (M), saeculo decimo scriptus. cum hoc Vaticanus codex (V) eadem fere aetate scriptus, qui quattuor primos libros continet, ita consentit, ut utrumque ex eodem archetypo ductum esse adpareat *). praeter hos unus extat vetus liber, Florentinus (F) undecimo saeculo scriptus et ex Florentina S. Marci bibliotheca inter Laurentianos codices translatus, in quo quattuor libri primi et initium quinti usque ad sextam epistulam scripta sunt, eaque causa fuit, cur huius partis diversam a reliqua conditionem esse dicerem. nam reliqui codices omnes multo inferiores aetate sunt. extabant autem olim alii codices veteres conplures, qui cum postea perierint, nunc vel ex apographis quinto decimo saeculo factis vel ex inpressis exemplaribus notitia eorum petenda est. primum enim ineunte quinto decimo saeculo Itali veterem aliquem codicem, in quo omisso octavo libro epistularum nonus pro octavo numeratus erat, usurpaverunt. ex hoc et codices octo librorum inde ab illa aetate scripti, quorum magnus est numerus, ducti sunt et princeps editio a. 1471 Venetiis exhibita,

*) Tertius quidem eiusdem generis codex est Pragensis, ex quo Titzius Plinii epistulas edidit a. 1823. sed hunc ex ipso Mediceo codice descriptum esse perpetuus cum eo libro etiam in manifestis vitiis consensus docet. in quo consensu maximam vim habent ea, quae quoniam in Vaticano recte scripta sunt, ex antiquiore codice repeti nequeunt, sed ipsius Medicei propria sunt. cuius generis e primo epistularum libro haec adnotavi exempla, I 5, 1 *enim* pro *non*; 8, 6 *ut non molestu* pro *ne molesta* (*n̄ molesta* M); ib. 14 *causa* pro *casu*; ib. 15 *ideo praedicarent* pro *ideo praedicare* (*ideo praedicarem* V); 9, 8 *dixit melius est otiosum esse* pro *dixit otiosum esse*; 10, 7 *multa severitas* pro *multum severitatis* (*multum severitas* M); 12, 12 *mortem doleo autem* pro *mortem doleo doleo autem;* 13, 5 *menu* (*memini* M) *defuerant* pro *nemini defui erant*; 20, 12 *frequenter egi* omissum; 23, 1 *ordine* pro *ordinem*; ib. 2 *audire si* pro *audire et si;* 24, 4 *noscere* pro *nosse* (*nosce* M).

quae ipsa quoque octo epistularum libros continet. deinde alius codex adhibitus est in vetere editione sine loci et anni significatione facta, ea quam a. 1474 Romae expressisse creditur Ioannes Schurener de Bopardia. in qua editione primum pars octavi libri antea omissi edita est *). desunt autem in hoc quoque exemplo ex illo libro ea quae inter epistulas 8, 3 *navium patiens* et 18, 11 *eadem qui emerat* media sunt. tertio codice usus est Aldus Pius Manutius, qui primum a. 1508 epistulas Plinii edidit. de quo codice quae hodie constant in praefatione p. VIII conposui. denique quartus nostra etiam aetate extabat codex, Riccardianus, cuius excerptis a Gorio Florentino factis usus est Cortius, qui eum usque ad l. V, 6, 32 pertinere scribit. hunc in catalogo bibliothecae Riccardianae eodem numero indicatum atque Plinii naturalis historiae codicem Riccardianum ipse Florentiae frustra quaesivi, sed aliquot membranarum fasciculos in fine illius codicis deesse vidi. unde cum suspicarer epistulas, quae ibi olim scriptae fuissent, postea abscisis membranis sublatas esse, hanc suspicionem confirmavit Ludovicus de Ian, qui se, cum a. 1829 illum naturalis historiae codicem tractaret, epistulas in fine codicis scriptas vidisse mihi narravit.

Ex his igitur codicibus, quibus omnis harum epistularum memoria continetur, summam auctoritatem tribuendam esse Mediceo intellectum est, postquam Cortius scripturam eius libri non tam subtiliter quidem, quam nunc postulatur, ac ne in iis quidem quae protulit satis certa fide, sed tamen continuo per omnes epistulas adnotatam exhibuit. iam vero ab hoc et Vaticano codice, qui cum illo stirpis consortio iunctus est, memorabili discrepantia discedit is qui aetate proximus est, Florentinus S. Marci codex. cum hoc autem ita consentiunt quaecumque ex Riccardiano codice in Cortii commentariis prolata sunt, ut hos duos artissimo communis originis vinculo contineri adpareat, sive ex eodem uterque archetypo sive ex Riccardiano, priusquam mutilaretur, Florentinus S. Marci codex descriptus est. in illa igitur scripturae discrepantia, qua a Mediceo eiusque socio Vaticano utrumque discedere dixi, quamquam multa, quae sibi propria habent Marcianus et Riccardianus codex, ex neglegentia librariorum vel ex interpolatione sine ulla dubitatione repetenda sunt, alia tamen, cum rectius in his quam in Mediceo codice servata sint, antiquiorem et incorruptam memoriam non minus certo prae se ferunt. sed ut recte de hac diversitate iudicetur, antea de tertio codicum genere, quod ex vetere octo librorum codice originem duxit, dicendum est, propterea quod illud aliquam vim habet ad hanc quaestionem

---

*) Romanam editionem, cuius notitiam debeo Audiffredio catalog. histor. crit. Roman. edit. saec. XV p. 164, ipse non usurpavi. sed epistulas octavi libri primum in ea editas non ex Mediceo codice, qui unus omnium codicum, qui nunc extant, octavum librum continet, petitas esse, ex aliis editionibus, in quibus postea eaedem epistulae ex Romana editione expressae sunt, intellegitur

diiudicandam. nam ille vetus octo librorum codex, ex quo recentes libros Italicos descriptos esse dixi, quantum quidem ex his ipsis intellegi potest, stirpe quidem ad Medicei et Vaticani archetypum prope accedebat, vel propius certe ab hoc quam ab origine Florentini quem dixi, ut simillimum huic Riccardianum nunc omittam, aberat; sed idem admodum vitiose scriptus fuit. quo factum est ut, cum primum in Italia describi coeptus est, primos epistularum libros, in quibus Florentinus codex quique ex hoc descripti erant multo planiorem et faciliorem scripturam praebebant, aut ex his potius quam ex illo describerent aut eius modi libris adhibitis corrupta exemplaria corrigerent. tam late autem eorum librorum auctoritas tum patuit, ut vix ullus inveniatur codex ex iis qui octo epistularum libros continent, qui ab ista contagione tutus integram veteris codicis scripturam exhibeat *). unum inveni Dresdensem codicem (D), in quem scripturae ex Florentino codice propagatae posteriore manu ita inlatae sunt, ut quid in priore scriptura fuerit certo cognosci possit. quare reliquis omissis hunc unum in hac quidem parte epistularum tertii codicum generis testem esse volui. in eo codice autem cum ordo epistularum libri quinti et noni, quem quidem ille octavum numerat, mutatus est, tum in primo libro quattuor epistulae, 8, 12, 23, 24, suo loco omissae et ex Florentino codice descriptae in fine codicis additae sunt. hunc igitur a Florentini codicis origine diversum cum Medicei et Vaticani archetypo, ut dixi, stirpis cognatione coniunctum esse, sed in ea cognatione tamen suam sibi vindicare auctoritatem neque ex ipso illo archetypo ductum esse inde intellegitur, quod et cum illis in manifestis quibusdam vitiis a communi origine profectis consentit et cum Florentino codice multis locis, in quibus illi corrupti sunt, integram scripturam servavit. certissima eius rei indicia praebent lacunae. nam quaedam, quae in illis communi vitio omissa sunt, solus Florentinus servavit, ut IV 5, 4 *quo sit excusatius, quod librum ipsum, non tamen ultra causae amplitudinem extendimus;* 7, 7 *risum magis possit exprimere quam gemitum;* 10, 3 *neque enim minus apud nos honestas quam apud alios necessitas valet;* 12, 3 *sed tamen quaestio*; ib. 5 *ut ego statim feci.* contra in Mediceo et Vaticano codice multa vel neglegentia veteris librarii vel deleta archetypi scriptura omissa sunt, quae cum Florentino codice servavit Dresdensis liber, ut IV 4, 2 *obligabis Calvisium nostrum*; 17, 4 *sanctiorem;* ib. 8 *deinde;* ib. 11 *vel etiam commendationem;* 21, 2 *angor optimorum maritorum;* 26, 2 *super haec occupatissimus;* 27, 1 *recitantem.* eadem librorum ratio etiam in minoribus

*) Antiquissimus ex hoc genere librorum, de cuius quidem aetate certo constat, est codex archivii Cassinatis a. 1429 (non 1428, ut olim scripsi) ab Antonio Marii filio Florentino scriptus. hunc quoque in primis libris plerumque Florentini codicis scripturam sequi cognovi ex iis quae me rogante de eo codice mecum communicavit K. Zangemeister. idem de Vindobonensibus codicibus quattuor mihi indicavit Ioannes Vahlen; in aliis ipse expertus sum.

vitiis ex solita librariorum neglegentia ortis conspicitur, velut haec in Mediceo et Vaticano codice vitiose scripta sunt, recte in Florentino et Dresdensi, ut in eodem quarto epistularum libro subsistam, IV 3, 5 *instituto* pro *insiticio;* 9, 1 *a senatu* pro *ad senatum;* ib. 16 *iud. tandos* M, *iudicandos* V pro *iudices dandos;* 15, 1 *ex iudicio* pro *certe iudicio;* 19, 6 *prelectione* pro *praedicatione;* 24, 5 *computes* pro *aevum putes;* 30, 5 *aut* pro *prout.* multo minor est eorum vitiorum numerus, quae quia antiquiore tempore orta erant, et ad Dresdensem codicem et ad Mediceum atque Vaticanum propagata sunt et unius Florentini ope sanantur. ex quo genere sunt haec, II 14, 4 *nec inducuntur* F, *nec ducuntur* MV, *nec inciduntur* D; 17, 12 *prospicit* F, *possidet* MVD; III 14, 7 *palma* F, *palam* MD, *palamque* V; IV, 17, 9 *ut ipsa* F, *ipsa* MVD; 22, 5 *luminibus orbatus* F, *luminibus orbus* D, *luminibus captus* MV; 27, 3 *occurrerit* F, *occurrit* D, *occurrat* MV; V 6, 32 *longe longeque* F, *longeque* D, *longe lateque* MV. sed certius etiam in Florentino et coniuncto cum eo Riccardiano codice diversitas originis inde adparet, quod in inscriptionibus epistularum cum Mediceus et Dresdensis uno nomine appellare soleant eos ad quos epistulae scriptae sunt, in illis saepe duo nomina servata sunt.

Atque haec de triplici codicum stirpe dixisse sufficiat, unde hoc constare volo, ubi a Florentino codice Mediceus et Vaticanus dissentiunt, plerumque eam scripturam genuinam esse, in qua cum alterutro ex illis Dresdensis consentit, interdum solum Florentinum id quod verum est servare, raro aut numquam idem accidere posse in reliquis libris. ceterum eadem causa, quae in hac parte epistularum, de qua dico, codices quinto decimo saeculo scriptos corrupit, effecit ut veterum editionum quoque in hac quidem parte incerta fides sit. nam in principe editione eadem ratione atque in manu scriptis libris scriptura Florentini codicis cum vetere octo librorum codice mixta est. ab hac quantum distet Romana Schureneri editio mihi non constat; sed multa in ea ex vetere codice, quem editor adhibuit, mutata esse veri simile non est, propterea quod nihil eius modi ad posteriores editiones propagatum est. postea Pomponius Laetus, qui editionem Romanam a. 1490 factam curavit, in primis quattuor libris multa ex Vaticano codice correxit. qua re motus olim I. M. Heusingerus ei editioni magnam auctoritatem tribuit. sed ipso codice quo ille usus est reperto nullam iam utilitatem habet editio. denique Aldus cum non unum illum codicem antiquissimum, quem praedicat, adhiberet, sed praeter hunc sex alia volumina epistularum partim manu scripta, partim impressa quidem, sed cum antiquis collata exemplaribus, ut scribit, usurparet, in hac potissimum parte, quae multo saepius quam reliqua descripta est, saepe videtur recentiores libros secutus esse. nam tam multa in Aldi editione cum Florentino codice consentiunt, ut aut hunc aut prorsus similem codicem ad illam adhibitum esse adpareat.

Ex his intellegitur fide illorum codicum, de quibus dictum est, recte existimata iudicium in hac quidem parte epistularum regendum esse. maxime autem illud quod dixi ad interpolationem codicum recte intellegendam valet. nam cum propter stirpis diversitatem in uno codice vel codicum genere interpolata scriptura esse soleat, plerumque consentientibus reliquis vera scriptura cognoscitur. accedit autem quod diversa in uno quoque libro interpolationis origo et natura est. latissime igitur interpolandi studium in Florentino codice vagatum est. in quo libro non solum conplura verbis additis vel mutatis graviter corrupta sunt, sed etiam perpetuo quodam corrigendi studio genus dicendi ita mutatum est, ut multa ex iis quae Pliniani sermonis propria sunt ad vulgarem dicendi morem redigerentur. ex magno exemplorum numero nonnulla ex diversis partibus collecta, eaque adposita aliorum librorum scriptura per se, ni fallor, perspicua, ponam, ex quibus universum genus cognosci possit. I 8, 15 *ita, si silenda feceris, factum ipsum, si laudanda non sileas, ipse culparis* MV, *ita si silenda feceris factum ipsum si laudanda quod non sileas ipse culpatur* F; II 14, 4 *sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti, manceps convenitur* MVD, *sequuntur auditores auctoribus similes convenitur a conductis et redemptis;* III 9, 32 *dari sibi diem* (*idem* MV) *et (et* om. D) *edi crimina postulabat* MVD, *dari sibi diem ad diluenda crimina postulavit* F; IV 7, 4 *ut orator habeatur* MVD, *ut plurimis orator habeatur* F; 13, 2 *sed prius accipe causas rogandi* MVD, *sed prius accipe causas rogandi deinde ipsum quod peto* F; 15, 11 *ignosce, primum, quod in ea civitate, in qua omnia quasi ab occupantibus* (*occupationibus* MV) *aguntur, quae legitimum tempus expectant non matura, sed sera sunt, deinde, quod rerum quas adsequi cupias praesumptio ipsa iucunda est* MVD, *ignosce primum quia votis suis amor plerumque praecurrit deinde quod in ea civitate — sera sunt in summa quod rerum* etc. F. II 1, 1 *clarissimi civis perinde felicis* MVD, *clarissimi civis et perinde felicis* F; 5, 3 *gaudemus, pariter — servimus* MVD, *gaudemus pariterque — servimus* F; 17, 3 *equorum boum* (*bouium* D) *armenta* MVD, *equorum boumque armenta* F; ib. 9 *huc illuc* MVD, *huc illucque* F; III, 1, 10 *aurium oculorum vigor* DVD, *aurium oculorumque vigor* F. II 7, 5 *digni sint modo* MVD, *ut digni sint modo* F; 12, 7 *habebat hoc moris* MV Riccardianus, *habebat enim hoc moris* F; IV, 16, 2 *magno cum labore, maiore cum fructu* MVD, *magno cum labore sed maiore cum fructu* F; II 5, 8 *illis quibus capitur* MVD, *illis a quibus capitur* F; 8, 3 *nam veteribus negotiis nova adcrescunt* MVD, *nam in veteribus* etc. F; II 5, 6 *exorare debebunt* MVD, *exorare debuerunt* F; 17, 24 *cum me recipio* MVD, *cum me recipi* Riccardianus, *cum me recepi* F; 19, 9 *exigitur* D, *exigit* MV, *exigetur* F; 18, 4 *liberi, dicerem tui* MVD, *liberi dicerentur tui* F; III 16, 11 *ut non moriar* MVD, *ne moriar* F. in tam manifesta libri interpolatione multa, quae olim a plurimis editoribus probata sunt, quamquam per se sane genuina

videri poterant, tamen propter communem reliquorum librorum dissensum pro suppositis habenda sunt. hac de causa igitur III 5, 4 scribendum est *adstitit ei*, non *adstitit enim ei;* III 11, 6 *qui nunc se philosophos vocant*, non *quos nunc philosophos vocant;* IV 1, 7 *nam continget hilares*, non *nam hilares certum est;* 3, 4 *quam amantia*, non *quam antiqua;* 10, 1 *contuli cum peritis iuris*, non *contuli cum prudentibus;* 11, 6 *Corneliam Vestalium maximam*, non *Corneliam Maximillam Vestalem;* ib. 9 *in illud subterraneum demitteretur*, non *in illud subterraneum cubiculum demitteretur.* quibus locis, ne plures eiusdem generis nunc enumerem, in ea scriptura, quam priore loco posui, Dresdensis codex cum Mediceo et Vaticano consentiunt contra Florentinum.

Minus quidem ab hac parte corrupti sunt Mediceus et Vaticanus codex. sed tamen ne hos quidem interpolatione librariorum vacare certissima demonstrant exempla, quorum pars ex glossis olim ad explicanda scriptoris verba adscriptis nata est, pars inde orta esse videtur, quod, cum in eo codice, ex quo utriusque libri archetypum ductum erat, quaedam neglegenter omissa essent vel oblitterata scriptura satis certo legi non possent, sua coniectura usus est librarius. nam ex codice aliquo lacerato illos libros originem duxisse vel lacunae in primo et tertio epistularum libro defectu membranarum factae ostendunt. utriusque autem generis luculenta exempla sunt haec, in quibus reliquorum librorum scriptura, quam adscripsi, illud quod dixi probabit, II, 1, 7 *exemplar aevi prioris* FD, *exemplar vitae prioris* MV; 6, 3 *quam consuetudinem sequeris? eadem omnibus pono* FD, *quam consuetudinem sequeris respondi eadem omnibus pono* MV; 17, 25 *maris vicinitate corruptus* FD, *maris vicinitate salsus* DM; III 20, 5 *sub quo militaverat* FD, *sub quo legatus* MV; IV 13, 2 *in fine (in finem* F) *laxavero* FD, *in fine intermisero* MV; I 2, 1 *nihil ante* FD, *nihil umquam* MV; ib. 4 *non tamen omnino Marci nostri* (*nostri* om. D) *ληκύθους fugimus*, *quotiens paulum itinere decedere non intempestivis amoenitatibus admonebamur* FD, *non tamen omnino marcino ibi* (*marcinos* V) *fugiamus ut etiam paulum itenere cedendo intempestivis amoenitatibus submovemur* MV; II 17, 17 *ante cryptoporticum xystus violis odoratus*: *teporem solis infusi repercussu cryptoporticus auget, quae ut tenet solem sic aquilonem inhibet submovetque* F, *ante cryptoporticus auget* etc. D, *ante cryptoporticum area quae ut — inhibet continetque* MV; III 1, 8 *lotus accubat* FD, *illic accubat* MV; 7, 7 *ad emacitatis reprehensionem* FD, *ad civitatis* (*cuntatis* M) *reprehensionem* MV; ib. 14 *tanto magis* FD, *eo magis* MV; V 3, 11 *atque haec ita* F, *atque ita* D, *sed haec ita* M; 6, 37 *iunctisque hiatibus* FD, *iunctisque partibus* M; ib. 40 *inductis fistulis strepunt rivi* F, *inducti strepunt rivi* D, *dulces strepunt rivi* M, ubi recte scribitur *inducti fistulis.* ex hoc quoque genere multa editores fefellerunt, maximeque Cortium, qui inconsideratius saepe Mediceum codicem secutus est et alios in hunc errorem induxit, ut interpolatam illius scripturam probarent, ubi id quod

verum est consensu reliquorum librorum firmatur. sed in his nunc non morabimur; nonnulla eius generis exempla infra tractabimus.

Denique Dresdensem codicem non vacare interpolationibus in tam recenti libri aetate facile intellegitur. quamquam in eo quid ex vetere octo librorum codice, ex quo descriptus est, fluxerit, quid postea Itali addiderint dici nequit. sed tamen numero pauca sunt exempla interpolatae scripturae in eo codice, quippe qui neglegentia potius scribendi quam pravo corrigendi studio corruptus sit. eius modi exempla sunt haec, II 14, 10 *narrabat autem ille* pro *narrabat ille;* III 5, 8 *summa instantia* pro *summa vigilantia*; ib. *somni parcissimi* pro *somni paratissimi;* IV 9, 3 *princeps accusationis* pro *fax accusationis;* ib. 10 *ne mox corporis vires iterato labore deficerent* pro *ne me corporis vires iterato labore desererent;* 29, 2 *ut retractaretur* pro *ut deprecaretur;* 30, 8 *fontis excursum per momenta repercutiat* pro *fontis excursum repercutiat.* ne de his quidem interpolationibus, quae plerumque per antiquissimas editiones propagatae sunt, semper recte a viris doctis iudicatum esse uno exemplo probabo, I 2, 1 *nihil ante peraeque eodem stilo scripsisse videor*, ubi *stilo* F solus habet, *zelo* D, *libro* M, lacuna adscripto in margine *stillo* est in V. *stilo* autem cum rationibus codicum firmatur, tum iis quae postea de stilo libri scripta sunt commendatur et propter additum *peraeque*, quod cum ζήλῳ non recte coniungitur, necessarium est.

Haec habui quae de libris manu scriptis generaliter exponerem. iam de singulis quibusdam locis disputabo, quorum scriptura cum stirpe et interpolatione codicum recte aestimata tum nexu sententiarum et usu sermonis bene cognito confirmanda videtur. nam in hoc quoque saepe ab editoribus peccatum esse video, quod non satis animadverterunt, quid usus dicendi vel huius scriptoris vel eius aetatis proprius postularet *).

I 1, 1 *Frequenter hortatus es, ut epistulas, siquas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque.* ex uno D restitui *curatius*, pro quo *accuratius* F, *cura* (*curam* M) *maiore* MV. illud tamen verum esse etiam reliquorum librorum scripturae, quae ex interpolatione et interpretatione genuinae scripturae profectae sunt, probant. *curatus* autem, hoc est magna cura tractatus, eadem fere significatione qua accuratus dixit Plinius IX 13, 10 *curatoque sermone.* Taciti exempla indicavit Nipperdeius in Tac. ann. I 13 *curatissimis precibus.*

I 2, 2 *Temptavi enim imitari Demosthenen semper tuum, Calvum nuper meum, dumtaxat figuris orationis: nam vim tantorum virorum 'pauci quos aequus amavit' adsequi possunt.*

---

*) In sermone Plinii accuratius cognoscendo nuper landabilem operam collocavit Hugo Holstein de Plinii minoris elocutione, Numburgi a. 1862. sed in iis rebus, de quibus mihi quaerendum fuit, ea quae ab illo magna cum diligentia composita sunt nihil mihi profuerunt.

multa de hoc loco disputaverunt editores propter veterem scripturae discrepantiam. nam in MV omisso Calvi nomine haec ita scripta sunt, *temptaui enim imitari demostenen semper tuum nuper meum dumtaxat figuris multis nam uim tantam uirorum pauci quos aequus amauit qui possunt.* quare plerique Calvi nomen insiticium esse putaverunt idque ne aptum quidem esse argumentis probare studuerunt. Cortius quidem in hac aequieverat scriptura, *tentavi enim imitari Demosthenen semper tuum, nuper meum, figuris duntaxat orationis. nam vim tantam verborum* (*verborum* ediderat Pomponius Laetus) *pauci quos aequus amavit, sequi possunt,* quae ipsa nuper longa disputatione defendit I. Geislerus Philol. v. XII p. 316. sed ut per se vix probabile est Calvi nomen postea additum esse in iis quidem libris, a quibus tam docta interpolatio aliena est, ita omnino fieri non potest, ut quod F et D tuentur, MV omittunt ab interpolatore additum sit; sed potius Mediceo et Vaticano vitium tribuendum est, praesertim cum archetypum eorum lacuna membranarum vel defectu scripturae in initio libri corruptum fuisse reliqua etiam scripturae vitia probent. neque est, cur ea quae codicum auctoritate tuta sunt hoc loco spernantur. nam nec iure quemquam offendat Plinium operam dedisse Calvo, ad quem ipsa imitatione Demosthenis ductus esse videtur, neque displicere debet, quod ita duo oratores inter se oppositi sunt, *Demosthenen semper tuum, Calvum nuper meum*: Plinius enim, cum Demosthenem quidem Arriano valde probatum esse sciret, ad Calvum ipse tum primum studium convertisset neque compertum haberet, ut videtur, quid de eo Arrianus iudicaret, grato quodam sermonis artificio usus ita utrumque coniunxit, ut alterum amico semper carum fuisse, alterum nuper sibi carum factum esse diceret. ceterum *Demosthenen* scripsi constantem Plinii usum in Graecis nominibus optimorum codicum auctoritate firmatum secutus: I 10, 10 *Euphraten;* 15, 2 *lyristen*; 20, 4 *Demosthenen Aeschinen Hyperiden;* ib. 17 *Periclen;* III 7, 13 *Xerxen*; IV 3, 4 *Heroden*; 5, 1 *Aeschinen*; 9, 5 *Theophanen;* VI 6, 3! *Niceten;* ad Trai. 5 (8), 1 *iatralipten*; paneg. 14 *Euphraten;* item ad Trai. 5 (4), 2 *Thermuthin*; 10 (5), 1 *Harpocran;* sed *Lycormam* ad Trai. 63 (13) et 67 (15). — Quoniam nomen in MV omissum defendi, addam hic statim exemplum nominis in iisdem libris falso additi, V 3, 5 *sed ego verear, ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Polionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scaevolam, Servium Sulpicium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium, Lentulum Gaetulicum, Annaeum Senecam, Lucanum et proxime Verginium Rufum.* Lucani nomen in FD, item in principe editione et in Aldina omissum unius Medicei auctoritate nititur: nam de hoc fallitur Cortius. praeterea in excerptis Brummeri apud Cortium nescio qua auctoritate exhibetur *Lucanum* et in Pomponii Laeti editione legitur *et Lucanum,* quod postea plerique probaverunt. inepta autem est poetae nobilissimi mentio inter eos viros, qui aliis rebus maiorem laudem quam carminibus adepti erant.

sensisse hoc videtur Gierigius, qui *Lucilium* scribendum esse coniecit, quod de amico Senecae intellegi voluit. sed ne librorum quidem auctoritate satis commendatur nomen. quare illud ex glossa olim ad *Annaeum Senecam* adscripta natum esse existimo.

I 5, 12 *Respondi nunc me intellegere maligne dictum, quia ipse confiteretur; ceterum potuisse honorificum existimari.* ex F et Riccardiano codice scribendum est *existimare,* quamvis vulgatam in omnibus exemplaribus scripturam *existimari* tueantur MVD. nam ipsius Plinii opinionem, non hominum, indicari ostendunt ea quae sequuntur, quibus quid sibi in eloquentia sequendum proposuerit narrat, *est enim, inquam, mihi cum Cicerone aemulatio* etc. neque solet Plinius in talibus formam orationis mutare, sed insolentiore etiam modo pronomen saepe omittit: cf. V 8, 1; 13 (14), 2; VI 28, 2; 29, 1; VII 1, 3; VIII 6, 10; ad Trai. 47 (56). 1.

I 8, 17 *Vereor ergo ut sit satis congruens, cum in dicendo adsentationem vulgi adclamationemque defugerim, nunc eadem illa editione sectari, cumque plebem ipsam, cui consulebatur, limine curiae parietibusque discreverim, ne quam in speciem ambitionis inciderem, nunc eos etiam, ad quos ex munere nostro nihil pertinet praeter exemplum, velut obvia ostentatione conquirere.* incerta fide nititur *obvia ostentatione,* quod ex F ad editionem principem et Aldinam propagatum et postea a plerisque editoribus receptum est. nam *adsentione* habent MV superscriptis in V *ta* litteris: in Dresdensi codice epistula omissa est. recte autem *adsentatione* scripsit Catanaeus. intellegitur enim pravum gratificandi studium, quod veretur Plinius ne edita oratione hominibus ante oculos posuisse videatur ad animos eorum alliciendos. significationem et usum vocabuli explicuit Seyffertus in Cic. Lael. p. 520. argute autem, ut acumen quoddam orationis quaeratur, idem vocabulum, quod antea de populo positum erat, de ipso oratore dictum repetitur.

I 9, 1 *Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio aut constet aut constare videatur, pluribus cunctaque non constet.* ambiguum indicium reddit discrepantia codicum, *cunctaque* MV, *cunctisque* D et princeps editio, *iunctisque* F Riccardianus et editio Aldina. e quibus *cunctisque*, quamquam suos laudatores invenit, tamen vel propter additum *pluribus* aperte falsum est, *cunctaque* recte quidem dicitur ea sententia, quam Cortius proposuit, h. e. plurium dierum simul collecta ratio, universa summa. verum tamen et librorum auctoritate et nexu sententiarum magis commendatur *iunctisque.* nam singulis diebus opponuntur plures iique non separati interpositis aliis, sed continuitate iuncti.

I 12, 11 *Decessit superstitibus suis, florente re publica, quae illi omnibus suis carior erat: et hoc scio. tamen tamquam et iuvenis et firmissimi mortem doleo.* ita haec in MV scripta sunt, nisi quod *suis* posteriore loco omissum est; *et hoc scio ego tamen tamquam iuuenis fortissimi morte doleo* F: in D epistula omissa est. interpolatam haud dubie Flo-

rentini codicis scripturam recte inprobavit Cortius. sed in hoc erravit et me olim in errorem duxit, quod cum reliquis etiam pronomen *ego* damnavit, tamquam additum ab iis qui *tamen* ab initio sententiae poni non posse putarent. nam illud quod Cortius contendit et exemplis Sallustii et Ciceronis probavit in Sall. Cat. 20, 12 et Cic. ep. ad fam. XIV 13, 2, *tamen* primo loco poni posse, apud antiquos quidem scriptores dubitationem non habet; sed diversa ab his Plinii consuetudo istam collocationem respuit. nam non solum in conectendis sententiis, cum saepissime hanc particulam adhibuerit, constanti usu post alia verba eam collocavit, sed etiam ubi alio enuntiationis membro praecedente in apodosi post *quamquam quamvis etsi si* et talia ponitur, eundem morem tenuisse videtur. saepius etiam, sicut hoc loco factum est, *ego* pronomen, quod ille poetarum usum vel vulgarem sermonem secutus etiam sine propria vi ponere consuevit, adiecit, ut IV 3, 1; ad Trai. 23 (34), 1. siquando autem alii vocabulo postponere nolebat vel commode illud fieri non poterat, non *tamen* dixit, sed *et tamen*, ut II 14, 6 *et tamen crescit;* III 9, 27 *et tamen memento;* VII 4, 10 *et tamen non de meo sed de aliorum iudicio loquor;* rarius *sed tamen*, ut III 16, 6 *sed tamen ista facienti;* paneg. 87 *qui petentibus vacationem invitus quidem sed tamen tribuas.* pauca sunt in vulgatis exemplaribus, quae ab hoc more recedant, eaque aut manifesto corrupta aut suspecta. igitur IV 7, 2 scribendum est, sicut olim edidi, *librum de vita eius recitavit, de vita pueri: recitavit tamen; eundem in exemplaria mille transscriptum per totam Italiam provinciasque dimisit*, non *librum de vita eius recitavit, de vita pueri recitavit; tamen eundem* etc. *recitavit tamen* autem eadem sententia dictum est atque V 3, 7 *recito tamen.* VI 30, 2 *villa Camilliana*, *quam in Campania possides*, *est quidem vetustate vexata; tamen quae sunt pretiosiora aut integra manent aut levissime laesa sunt:* ex Aldina editione recipiendum fuit *ea tamen,* pro quo *et tamen* habent D et princeps editio, *tamen* M. gravius corruptus est tertius locus VI 25, 4, qui vulgo ex Aldina editione sic scriptus fertur, *utinam ne in Robusto idem experiamur. tamen arcessamus Scaurum.* dicuntur haec de Robusto, qui cum ex itinere non rediisset, timet Plinius ne idem ei accidat, quod olim Metilio Crispo acciderit, ut ne de morte quidem nuntius accipiatur; Scaurum tamen, quocum partem itineris ille fecerat, arcessendum esse ait. sed longe diversa est codicum et principis editionis scriptura, *ut ne Robusti quidem experiamur tamen accersamus* (*experamur tamen accersamur* D) *Scaurum.* quare haec cum iis quae antea de Crispo dicta erant ita coniungenda sunt, *interceptusne sit a suis an cum suis dubium: certe non ipse, non quisquam ex servis eius adparuit, ut ne Robusti quidem* (h. e. servi adparuerunt). *experiamur tamen, arcessamus Scaurum.* Aldi autem scriptura hoc loco non ex codice petita, sed e Pomponii Laeti coniectura profecta est neque ullam fidem habet. restant etiam tres loci, qui legi quam dixi repugnent, II 19, 3 *unde accidit ut ii qui sedentes agunt, quamvis illis maxima*

ex parte supersint eadem illa quae stantibus, tamen hoc quod sedent quasi debilitentur et deprimantur; ad Trai. 2, 1 *quamvis enim Iulii Serviani — precibus indulseris, tamen etiam ex rescripto intellego*; ib. 9 (25) *statuam poni mihi a te eo quo desideras loco quamquam eius modi honorum parcissimus tamen patior.* quae quoniam omnia ad apodosin pertinent, ita defendi possunt, ut ibi minus constantem eum usum fuisse dicamus. sed cum plurimis exemplis in apodosi quoque alii vocabulo postposita inveniatur *tamen* particula, atque etiam sint quae id non casu aliquo sed certo dicendi more ita factum esse probare videantur, ut VI 32, 1, haud scio an primo loco Plinius scripserit *hoc tamen quod,* secundo *ego tamen.* de tertio non dubito, propterea quod ea epistula imperatoris Traiani, non Plinii est. — Subiciam his similem observationem de adverbio *denique.* nam in hoc quoque adverbio, quo saepe in enumeratione usus est Plinius, diverso ab antiquis more eam legem servavit, ne primo loco poneretur, nisi quidem quando cum imperativo iunctum vim adhortandi habet, idque bis IV 11, 16 *denique quidquid voles dummodo non minus longa epistula nuntia* et VI 17, 4 *denique, sive plus sive minus sive idem praestas, lauda,* et in obliqua oratione semel paneg. 75 *denique ut in posterum exemplo provideres.* praeterea constanter alii vocabulo subiecit; primo autem loco eadem significatione pro *denique* posuit *postremo.* hinc adparet ferri non posse quae ex Mediceo libro edita sunt VIII, 4 1 *nam quae tam recens, tam copiosa, tam lata, denique tam poetica — materia,* sed ex Aldina editione scribendum est *tam lata, quae denique tam poetica.* non magis corruptam scripturam praebent MV I 20, 15 *omnia experior, denique πάντα λίθον κινῶ*: recte scriptum est *πάντα denique,* quod ipsum libri tuentur, *panta denique* D, *tam denique* F. duo in panegyrico restant loci, c. 45 *vitiis potius civium quam virtutibus laetantur, primum quod in alio sua quemque natura delectat, denique quod patientiores servitutis arbitrabantur quos non deceret esse nisi servos,* ubi *denique quod* vel *denique quos* in codicibus est. *denique* autem omnino locum non habet, nisi plura excidisse putamus. recte igitur in Aldina editione restitutum esse videtur id quod vulgo receptum est, *deinde quod.* c. 66 *vis enim tales esse nos quales iubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, denique nihil quod credentem fallere paret non sine periculo fallentis.* in plurimis codicibus et editis olim exemplaribus *nihil* altero loco omissum est, quod primus ex tribus libris recepit Schwarzius. Gesnerus autem ediderat *nihil subdolum denique, quod credentem fallere paret,* quod probavit Handius Tursell. II p. 263. sed scribendum est potius *nihil subdolum, nihil denique quod.* nam nec *denique* in anaphora duorum nominum poni potest, neque ullam vim habet relativa sententia quae sequitur, nisi a praecedentibus separatur.

I 16, 5 *Praeterea facit versus, quales Catullus aut Calvus. quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris!* deest hoc loco in maiore membranarum lacuna Mediceus

codex. in Dresdensi post *Calvus* addita sunt haec, *revera quales Catullus aut Calvus.* eadem ex Arnzeniano codice protulit Cortius. pro genuinis autem habenda esse, quamvis a nullo editore recepta sint, docet usus Plinii, qui hac formula adhibita repetere consuevit verba quibus vim addere volebat: II 17, 20 *diaeta est, amores mei, re vera amores,* III 9, 37 *hic erit epistulae finis, re vera finis.* sed in talibus locis, in quibus eadem verba ad vim augendam repetita sunt, saepius vel a librariis vel ab editoribus erratum est. IV 13, 5 *quantulum est ergo collata pecunia conducere praeceptores, quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre emuntur (omnia autem peregre emuntur) inpenditis adicere mercedibus?* in FD, item in principe et Aldina editione omissa sunt v. *omnia autem peregre emuntur.* quod quamquam suspecta reddere verba poterat, tamen, cum non solum in MV legantur, verum etiam Riccardiani codicis testimonio firmentur, casu factum esse adparet, quod in aliis omissa sunt. simili autem dicendi genere usus est Plinius V 19, 8 *offerant etiam sumptibus eius, siquid opus erit, erit autem opus modico.* eidem errori tribuendum est, quod I 5, 6 *tertio ille 'non iam quid de Modesto, sed quid de pietate Modesti sentias quaero.' quaeris, inquam, quid sentiam* in FD ante *quaeris* omissum est *quaero,* quod tamen MV tuentur. neque enim deesse potest verbum in obliqua interrogatione. minus certa res IV 9, 17 *uterque recte. 'qui fieri potest' inquis, 'ut uterque recte, cum tam diversa censuerint'? quia scilicet et Macro legem intuenti consentaneum fuit damnare — et Caepio — veniam dedit facto,* ubi *ut uterque — censuerint* in D, *cum tam diversa censuerint* in MV, *ut uterque recte* in Aldina editione omissa sunt, unus F verba, sicut supra scripta sunt, servavit. et poterant sane haec omnia nullo sententiae vel sermonis vitio abesse: cf. II 6, 4 *et ille 'magno tibi constat'. 'minime'. 'qui fieri potest?' quia scilicet* etc. neque tamen veri simile est veterem aliquam interpolationem ita inter diversa librorum genera divisam esse, ut alia in alio haererent, neque ipsa verba habent quod quemquam iure offendat. immo illud *tam diversa censere* in simili sententia est apud Plinium VIII 14, 15 *tam diversa censentium.*

II 4, 2 *Cum vero ego ductus adfinitatis officio dimissis omnibus, qui, non dico molestiores, sed diligentiores erant, creditor solus extiterim, cumque vivente eo nubenti tibi in dotem centum milia contulerim — magnum habes facilitatis meae pignus.* errore factum est, quod in MV pro *cumque vivente eo* legitur *cumque ego,* quod frustra defendebat Cortius. *vivente eo* et codicum F et D consensus tuetur et nexus sententiarum postulat. nam cum ea quae in priore parte de dimissis creditoribus dicta sunt post mortem patris Calvinae facta sint, consentaneum erat, sicut perspexit Gierigius, ut haec quae sequuntur illo vivente se fecisse Plinius indicaret.

II 12, 4 *Quid enim miserius, quam exectum et exemptum honoribus senatoriis labore*

et molestia non carere? quid gravius, quam tanta ignominia adfectum non in solitudine latere, sed in hac altissima specula conspiciendum se monstrandumque praebere? praeterea quid publice minus aut congruens aut decorum, notatum a senatu in senatu sedere ipsisque illis, a quibus sit notatus, aequari. totum locum exscripsi, ut vitio laborare sermonem adpareret, quamquam neque quisquam, quod sciam, offendit, neque librorum discrepantia dubitandi locum praebet. nam quod pro *notatum* in F et Riccardiano *notandum* legitur, haud dubie interpolatori debetur. sed sicut antea dictum erat *quid miserius quam carere* et *quid gravius quam praebere*, ita postea quoque post comparativum *quam* addi postulat concinnitas orationis, cuius maxime studiosus est Plinius. neque patior mihi persuaderi haec ab eo non mutata forma orationis pro exclamatione elata esse. quare scribendum est *quam notatum.*

II 17, 2 *Decem et septem milibus passuum ab urbe secessit, ut peractis quae agenda fuerint salvo iam et composito die possis ibi manere.* laudatur amoenitas praedii Laurentini proxime ab urbe siti. sed in eo non *secessit*, quod in omnibus libris est, Plinium scripsisse, sed *recessit*, vel ea docere poterant, quae de Tuscis suis scripsit V 6, 2 *sed hi procul a mari recesserunt.* neque aliud omnino fert usus sermonis. nam recedendi verbum et poetas et scriptores Augusto posteriores de regionibus ab aliquo loco remotis usurpavisse constat; atque etiam perfecto eius tempore ita usi sunt, ut locum quasi refugisse et subtractum esse a prospectu oculorum significarent: Quintil. II 17, 21 *et pictor, cum vi artis suae efficit, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit;* Plin. ep. III 6, 2 *venter recessit:* cf. II 17, 21; V 6, 20; 38. secedere autem certo, ut videtur, huius aetatis more dicuntur homines urbem relinquentes maximeque ii qui otium ruris et locorum abditorum petunt: Plin. ep. I 9, 3 *cum secesseris*; II 11, 1 *quamvis enim quietis amore secesseris;* III 7, 6 *ab urbe secessit;* 21, 2 *prosecutus eram viatico secedentem;* V 14 (15), 1 *secesseram in municipium;* VII 16, 2 *ego in villas eius saepe secessi;* VIII 9, 1 *multa me negotia amicorum nec secedere nec studere patiuntur.* aliorum scriptorum exempla indicavit Holsteinius de eloc. Plin. p. 30. de rebus a nemine usurpatum invenio verbum praeter poetas quidem. neque vero illud hoc loco nescio qua elegantia, quae placuit novissimis interpretibus Gierigio et Doeringio, ab hominibus ad villam a strepitu urbis remotam transferri potuit, praesertim cum numerus passuum additus sit, qui nihil nisi significationem spatii requiri indicat. — Pergamus nunc ad alia librorum vitia in eadem praedii descriptione emendanda. §. 5 *undique valvas aut fenestras non minores valvis habet, atque ita a lateribus a fronte quasi tria maria prospectat; a tergo cavaedium, porticum, aream, porticum rursus, mox atrium silvas et longinquos respicit montes.* describuntur regiones quae ex diversis villae partibus conspiciuntur. in quo quod ea quae a

posteriore parte sita sunt respicere dicitur villa, videtur quidem defendi quodam modo eo ipso quod additum est *a tergo,* ut ea quae a fronte villae prospicientibus sunt a tergo opponantur illis quae ante se posita vident. vereor tamen ut haec recte dicatur ipsa villa respicere, si quidem regiones ab hac parte subiectas non respiciendo a fronte, sed prospiciendo ab hac ipsa parte intuetur. neque in reliquis quae Plinius multis verbis et magna varietate et in hac et in sexta libri quinti epistula de prospectu villarum scripsit tam pravam rationem secutus est. quare haud scio an *prospicit* pro *respicit* scribendum sit. eodem errore infra §. 20 in F *respicit* pro *prospicit* et V 6, 13 in D *respexeris* pro *prospexeris* scriptum est. — 16 *Hinc cryptoporticus prope publici operis extenditur. utrimque fenestrae*, *a mari plures*, *ab horto pauciores*, *sed alternis singulae.* ita haec olim scripsi et nunc etiam scribenda esse dico, cum in codicibus hic sit ordo verborum, *ab horto singulae sed* (*et* F) *alternis pauciores*, quae intellegi posse nego. dicuntur autem fenestrae ab utraque cryptoporticus parte fuisse, plures a mari, pauciores ab horto, sed ita dispositae, ut non duae in eodem loco ex adverso sitae, sed singulae alternis vicibus essent. — 20 *In capite xysti deinceps cryptoporticus horti diaeta est, amores mei.* non intellego, quid haec sibi velint, neque quidquam quo magis perspicua fiant ab interpretibus vel ab iis qui descriptionem hortorum explicare studuerunt adlatum esse video. in iis autem quae proxime antecedunt cryptoporticus et xystus ante cryptoporticum situs descripti erant. iam pergit descriptio ad diaetam xysto adiacentem. sed prorsus inepta in his sunt verba *cryptoporticus horti.* quae si nominativo casu dicta putamus, ut visum est Doeringio, qui Pragensem codicem secutus miras turbas hoc loco edidit, primum duas habemus cryptoporticus, cum una descripta sit, deinde qui sint horti, nemo facile dixerit. sin genetivos esse volumus *cryptoporticus* et *horti*, id quod priores interpretes probaverunt, superiori descriptioni repugnat, ut quod in capite xysti est idem deinceps in capite cryptoporticus post illum positae sit. *horti* autem, sive cum *capite* iungitur sive cum *diaeta*, prorsus ineptum est. itaque ex glossa ad argumentum quod tractatur indicandum in margine adscripta ista verba inrepsisse suspicor. *deinceps* autem, pro quo in D est *deinde,* etiam illis omissis recte dicitur: cf. IX 4, 2 *quae deinceps sequuntur.*

II 18, 2 *Nam proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri clare iocabantur. intravi*, *conticuerunt.* raro exemplo hoc loco veram scripturam soli MV dissentientibus reliquis libris servaverunt. nam pro *iocabantur*, quod habent FD et editio princeps et Aldina, in illis scriptum est *loquebantur*, ex Riccardiano codice adfertur *iocubantur.* non potest autem dubitari quin *loquebantur* scripserit Plinius. nam iuvenes quosdam hanc sibi reverentiam habuisse scribit, ut, cum coram multis senatoribus sermones agitarent, se intrante tacerent. in quo cum per se rectius locuti quam iocati esse di-

euntur iuvenes, tum *clare* adverbium, quod additum est, cum iocandi verbo, propterea quod in eo nulla vocis significatio inest, coniungi nequit. ceterum ne quis huius modi exemplis nimium tribuat ad evertenda ea quae de auctoritate codicum supra disputata sunt, unum subiciam locum, in quo etiam Vaticano dissentiente unus verae scripturae testis est M, III 19, 8 *sum quidem prope totus in praediis, aliquid tamen fenero*, ubi *fenero* unus M habet, *fenore* reliqui omnes.

IV 13, 9 *Atque utinam tam claros praeceptores inducatis, ut finitimis oppidis studia hinc petantur.* in FD et in editione principe et Aldina legitur *ut in finitimis.* unde scribendum esse videtur *ut et finitimis.*

IV 17, 3 *Accedit huc dignitas hominis atque hic ipse cui destinatus est honor; cuius nobis hoc maior habenda reverentia est, quod iam illo functi sumus.* pro *habenda*, quod ex MV receptum est, in FD et in principe editione et Aldina legitur *agenda.* et satis frequentem esse librorum in his verbis discrepantiam constat. hoc tamen loco non erat cur *agenda*, quod auctoritate librorum magis commendatur, quam *habenda*, sperneretur, quamvis infra §. 6 scriptum sit *reverentia ut aequali habebatur.* nam non minus recte dicitur reverentiam agere, quam paenitentiam agere, VII 10, 3 *agatque paenitentiam paenitentiae suae;* Tac. dial. 15 *neque illius, inquit, sermonis mei paenitentiam ago;* vel curam agere, ad Trai. 81 (85), 1 *opus cuius curam egerat:* Val. Max. I 1, 12 *magna conservandae religionis — apud maiores nostros cura acta est:* cf. Burmann. in Quintil. V 6, 3. similiter etiam dicitur delectum agere: Plin. n. h. VII §. 107 *ingeniorum gloriae quis possit agere delectum?* Quintil. X 3, 5 *delectus enim rerum verborumque agendus est.* nimirum cum nominibus actum vel affectum animi significantibus posterioris aetatis scriptores agendi verbum eodem fere significatu ponere consueverunt, quo antiquiores *habere* dixerunt, quo fortius ipso verbo notionem agendi exprimerent.

IV 19, 7 *Nam cum matrem meam parentis loco verereris, me a pueritia statim formare laudare talemque, qualis nunc uxori meae videor, ominari solebas.* fidem non habere quae in MV scripta sunt, *matrem meam parentis vice dilexeris meque a pueritia*, reliquorum librorum ostendit scriptura, *matrem meam parentis loco uenereris* (*uenereris* F et Riccardianus, *uenerere* ed. princ. et Ald., *verere* D) *me a pueritia.* sed ne illud quidem, quod F cum Riccardiano codice praebet, *parentis loco venereris*, hoc loco recte dicitur. nam cum Calpurnia Hispulla, ad quam epistula scripta est, matrem Plinii parentis loco habuisse dicatur, poterat id quidem praesenti tempore *venereris* dici, si modo mater Plinii, de cuius morte non constat, tum etiam vivebat. sed cum sequatur imperfectum tempus, *me formare laudare ominari solebas*, ea quoque quae praecedunt ad praeteritum tempus necessario referenda sunt. et vidit hoc Casaubonus, qui *parentis loco venerarere, me quoque*

a pueritia scribendum esse coniecit. sed auctoritate librorum magis commendatur quod supra scripsi, *parentis loco verereris, me a pueritia.* nam *quoque* nullam fidem habet. *vereri* autem eadem significatione qua *revereri* (I 14, 3; IV 15, 12; VI 6, 4; VII 17, 9; VIII 24, 3), ut esset reverentiam habere vel 'cum summa reverentia diligere' (VII 11, 3), id quod ne a Ciceronis quidem sermone alienum esse constat, saepius dixit Plinius: V 14 (15), 5 *cum sequerer ut magistrum, ut parentem vererer*; VIII 23, 2 *ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quasi magistro uteretur*: cf. IV 25, 4; VII 25, 5; VIII 23, 3. idem verbum restituendum videtur duobus locis, IV 12, 6 *te vero Marcellinus ita veretur, ut iudicio tuo plurimum tribuat*, ubi *reveretur* ex MV editum est, cum *veretur* reliquorum codicum auctoritate confirmetur, et V 12 (13), 1 *advocavi aliquos, ut vererer, paucos, ut verum audirem*, ubi *revererer* habet M, sed *vererer* tuetur D cum editione principe et Aldina.

IV 29, 2 *Ecce Licinius Nepos, praetor acer et fortis, multam dixit etiam senatori.* non erat cur de fide Florentini codicis dubitaretur, in quo codice post *fortis* additum est *vir*, cum in reliquis scriptum sit *praetor acer et fortis et praetor (et praecor* M*).* quod siquis ita defendat, ut v. *praetor* magna cum vi repetitum esse dicat, ut Licinius iustas magistratus sui partes egisse dicatur, is nimias quasdam et vel ab hoc scriptore alienas argutias inferat. quare recte quidem Pomponius Laetus illud *et praetor*, quod ex repetitione antecedentis vocabuli ortum esse videtur, delevit. verum tamen ne v. *vir* quidem in suspicionem vocandum erat, neque aliam emendationem, de qua cogitari possit, velut *acer et fortis et severus,* circumspiciendam esse puto, sed restituendam veterem scripturam, *Licinius Nepos praetor, acer et fortis vir, multam dixit.*

IV 30, 7 *An quae oceano natura, fonti quoque, quaque ille ratione aut inpellitur aut resorbetur, hac modicus hic umor vicibus alternis supprimitur vel egeritur?* describitur mira natura fontis alternis vicibus crescentis et decrescentis. in extremis autem vocabulis discrepant codices, *supprimitur vel egeritur* F et editio princeps, *supprimitur et egeritur* D, *supprimitur erigitur* M, *supprimitur erigiturque* V. erigendi verbum, quod praebent MV, eo quod oppositum est *supprimitur* defendi videtur et exemplis confirmatum est a Cortio. *egeritur* tamen, pro quo *effundere* antiqui dixerunt, non solum codicum F et D consensus commendat, sed tuetur etiam usus Plinii, V 6, 37 *fons egerit aquam et recipit*, VIII 20, 9 *idem lacus in flumen egeritur.*

V 1, 11 *Ille ergo Curianus legatum mihi reliquit et factum meum, nisi forte blandior mihi, antiquum notabili honore signavit.* Curiano a matre exheredato olim se sua sponte partem hereditatis, quae sibi obvenisset, cessisse, idque factum postea legato sibi relicto ab illo ornatum esse dicit Plinius. in ipsis verbis autem, quae supra scripsi, iam non

est quod quemquam moretur priorum editionum scriptura, *antiquorum notabili more signavit*, in qua *more* nec intellectum nec auctoritatem habet, sed ex principe editione temere propagatum est, *antiquorum* autem, quamquam F exhibet, tamen non minus falsum est. et recte quidem utrumque reiecit Cortius. nam antiquum solito Plinii usu dicitur factum more et virtute antiquae aetatis dignum: cf. ep. II 11, 18, paneg. 76, 95: et huc pertinent quae interposita sunt, *nisi forte blandior mihi.* 'honore signare' autem non ex usu testamentorum translatum est, sed eo verbi usu dictum, quo pro significandi vel indicandi verbo poetae et posterioris aetatis scriptores signare dixerunt, simplicem honoris significationem habet: Plin. paneg. 23 *quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares;* Verg. Aen. VI 780 *et pater ipse suo superum iam signat honore;* Ovid. fast. V 4, 74 *ut celebrem nostro signet honore diem.* sed illud non recte instituit Cortius, quem posteriores editores secuti sunt, quod unius M auctoritate *nobili* pro *notabili*, quod reliquorum codicum consensus tuetur, recepit. nam illud ipsum quod dicit, *notabile* apud Plinium saepissime in deteriorem partem pro invidioso suspecto et periculoso accipi, verum non est. immo nullam infamiae significationem illud nomen habet, sed de iis rebus dicitur, quae aliquo modo memorabiles, conspicuae, singulares sunt, hoc est dignae quae noscantur: III 7, 10 *illud etiam notabile*; 11, 2 *et quo notabilius, hoc est periculosius, esset, fui praetor;* IV 11, 16 *solent enim quaedam notabilia incidere;* V 17, 5 *tam notabiliter pro fratre recitante primum metus eius, mox gaudium eminuit*, ubi vitiose ab Aldo editum est *iam nobiliter*; VI 33, 5 *notabilis prorsus et mira — diversitas:* VII 6, 1 *rara et notabilis res Vareno contigit;* 27, 14 *nihil notabile secutum.* siquando autem in deteriorem partem accipitur, non propria haec nominis vis est, sed efficitur iis quae addita sunt: I 5, 13: III 14, 6: VI 15, 3: IX 13, 10. nec diversus ab his est usus reliquorum eiusdem aetatis scriptorum, e quibus praeter Plinium in primis Suetonius eo vocabulo usus est: cf. Ernest. in Suet. Caes. 45. *nobilis* autem non video nisi de nobilitate generis a Plinio dictum esse. itaque non dubitandum est quin recte scribatur *notabili honore.*

V 3, 2 *Quibus ego, ut augeam meam culpam, ita respondeo: facio non numquam versiculos severos parum, facio: etiam comoedias audio et specto mimos et lyricos lego et Sotadicos intellego; aliquando praeterea rideo, iocor, ludo, utque omnia innoxiae remissionis genera breviter amplectar, homo sum.* plura in his verbis ab editoribus temptata, needum omnia persanata sunt. *Sotadicos* recte restituit Catanaeus. nam neque ferri potest codicum scriptura in hoc quidem loco, in quo poetarum, non philosophorum mentio necessario desideratur, neque quidquam vel rectius vel facilius inveniri posse puto, quam Sotadicos, quorum maxime infamem fuisse lasciviam constat. sed ea quoque quae praecedunt in codicibus corrupta sunt: *facio nam et comoedias* habent F Riccardianus et Aldina editio,

facio et comoedias D et princeps editio, *facio et nā comoedias* M: nam ita ego ex Mediceo codice adnotavi; Cortius in eo quoque *nam et* esse indicavit, idque ex Pragensi editum est. dicit autem Plinius de levioribus studiis, quibus delectetur, et primum versus ponit, quos ipse faciat, deinde alia, quibus audiendis vel spectandis vel legendis, animum remittat. haec igitur interposita *nam* coniunctione, sicut in vulgatis post Aldum exemplaribus editum est, coniungi non posse adparet. ac ne librorum quidem fide ea scriptura satis munita esse videtur. sed praeterea comoediarum mentio huic loco non convenit. nam nec in theatris tum eum locum obtinebant comoediae, ut in remissionibus animi commemorari possent, nec audiri dicuntur fabulae in scena, sed spectari. legendum potius *comoedos*, quos vulgo tum et ab ipso Plinio in cena auditos fuisse frequens eorum apud Plinium mentio ostendit, I 15, 2 *audisses comoedos:* cf. III 1 9; V 19, 3; IX 17, 3; 36, 4; 40, 2. hoc igitur recepto scribendum videtur *facio non numquam versiculos severos parum, facio, et in cena comoedos audio* vel prorsus omisso *nam*, quod in codicibus est, id quod magis probaverim, *facio*, *et comoedos audio.*

V 6, 15 *Magna sui parte meridiem spectat aestivumque solem ab hora sexta*, *hibernum aliquanto maturius*, *quasi invitat in porticum latam et pro modo longam.* situs et amoenitas villae describitur. verba autem sic, ut scripsi, et in plurimis codicibus scripta et olim edita sunt. Cortius ex Mediceo codice edidit *in porticum latam et prominulam*, quod ipsum ex eodem codice adnotaverat Catanaeus, idque recentiores editores receperunt, et nuper probavit Holsteinius de Plin. min. eloc. p. 20, ut porticus villae adiacens et aliquantulum prominens intellegeretur. in quo naturam et situm porticus recte descriptum esse non nego, nisi quod illud nos iure offendat, quod latitudine laudata non indicata est longitudo. sed de nomine *prominulus*, quod ne codicum quidem auctoritate satis defenditur, vehementer dubito. nam exempla scriptorum Plinio multo inferiorum, quibus usum vocabuli probare studuerunt interpretes, Iulii Capitolini vit. Pertin. c. 12, Solini c. 27 et 30, Marciani Capellae l. III 261, vel Varronis, qui similiter dixit *eminulus* rer. rust. II 5, 8 et II 9, 4, neque per se sufficiunt, ut idem Plinio tribuamus, et genere diversa sunt, quoniam ista omnia de partibus corporis paulum prominentibus dicta sunt. verum tamen in altera quoque scriptura displicet *pro modo*, quod non satis recte ad ipsam porticum refertur, ut ea pro sua latitudine longa esse dicatur. itaque scribendum esse puto *pro modo villae longam*; atque haud scio an hoc ipsum etiam corrupta Medicei codicis scriptura commendetur.

V 6, 21 *Est in hac diaeta dormitorium cubiculum*, *quod diem clamorem sonum excludit*, *iunctaque ei cotidiana amicorum cenatio*, *quae areolam illam*, *porticum aliam*, *eademque omnia quae porticus aspicit.* Medicei codicis haec scriptura est, nisi quod *et* pro *ei* habet: *iunctaque ei cotidiana amicorumque cenatio areolam illam porticus alia eademque* F, *iunctaque*

et cotidiana amicorumque cenatio areola illa eademque D. corrupta autem esse verba non magis codicum discrepantia, quam rerum quae describuntur perturbatio docet. descripta enim villa, porticu, xysto cum iis quae adiacebant iam pergit descriptio ad diaetam, quae contra mediam porticus partem paulum ab illa recedens sita erat. in hac duo fuerunt cubicula, dormitorium et cenatio, quibus postea additur tertium. iam in his quae primum ponuntur non intellegitur, quae sit cotidiana amicorum cenatio, nisi forte cotidie ibi amicis cenam paratam fuisse existimabimus. rectius igitur in FD scriptum est *cotidiana amicorumque cenatio*, h. e. in qua et cotidie, et siquando amici ad cenam venerant, cena parari solebat. deinde quae de prospectu scripta sunt interpretes ita intellegi volunt, cenationem istam interioribus fenestris areolam ante diaetam sitam, exterioribus aliam porticum, de qua infra §. 31 dicitur, eademque omnia quae priorem porticum, de qua ante dictum est, aspicere. sed neque quae ex diversis cubiculi partibus aspiciebantur ita confundi poterant, neque, si de duabus porticibus dicitur, posteriore loco omitti poterat eius de qua dictum erat significatio. itaque alterius porticus mentio ab hoc loco omnino aliena est, neque cogitari potest nisi de una illa quae supra descripta erat, quae post areolam inter ipsam et diaetam positam aspiciebatur. magis etiam in his corrupta est altera scriptura olim ex F vulgo recepta, *areolam illam porticus alia eademque omnia quae porticus aspicit.* itaque deleto vitioso v. *aliam* scribendum est *iunctaque ei cotidiana amicorumque cenatio*: *areolam illam, porticum, eademque omnia quae porticus aspicit.* nam vix aliam rem, ad quam prospectus patebat, commemorari sinunt ea quae sequuntur, *eademque omnia quae porticus aspicit.*

V 6, 38 *Marmore splendet, valvis in viridia prominet et exit, alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suscipit dispicitque. mox zothecula refugit quasi in cubiculum idem atque aliud.* ea quae de prospectu ex cubiculo patente hoc loco scripta sunt valde corrupta exhibent codices, *suscipit descipitque mox zetaecula refulget* D, *suscipit quae mox zothecula refugit* M, *suscipit Quem exodio thecula refugit* F. vulgo autem editionis principis et Aldinae scriptura, *suspicit despicitque, mox zothecula* (*zetecula* ed pr., *diaetula* Ald.) *refugit* recepta est. mihi ut eam scripturam inprobarem olim auctor fuit Lachmannus in Lucret. p. 236, qui *despicere* cum accusandi casu non coniungi nisi in significatione contemptus docuit. hac de causa igitur verba sic ut supra scripta sunt constitui, in quibus *suscipit* idem significare volui, quod supra §. 29 dicitur *tangere* et *admittit.* sed neque ita dictum esse a quoquam invenio *suscipere* neque dici posse puto. unde cum necessario scribendum sit *suspicit*, sequitur ut *despicit* quoque probetur. adparet enim argutam quandam orationis concinnitatem a scriptore quaeri, ut *fenestris superioribus inferioribusque*, e quibus viridia supra et infra posita prospiciuntur, respondeant verba, *suspicit despicitque.* atque cum hoc loco despiciendi verbum de rebus quae ex superiore loco aspiciuntur a Plinio dictum esse

persuadeat id quod oppositum est *suspicit*, iam non dubito idem verbum restituere duobus locis, in quibus nihil eius modi additum est, V 6, 23 *aliis fenestris xystum*, *aliis despicit pratum*, *sed ante piscinam, quae fenestris servit ac subiacet,* quamquam ibi *dispicit* habet M, et IX 7, 4 *ex illa possis despicere piscantes*, ubi *despicere,* non *dispicere* est in libris. non multum in talibus tribuendum esse codicum scripturae constat. itaque *discribere*, de quo verbo disputavit Buechelerus mus. Rhen. noviss. v. XIII (a. 1858) p. 598 sqq., non propter auctoritatem codicum, sed propter significationem verbi restituendum est II 6, 2 *vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera discripserat* (*discripserant* M, *descripserat* VF); V 6, 13 *ea varietate*, *ea discriptione* (*descriptione* MFD), *quocumque inciderint oculi reficientur;* ib. 35 *buxus intervenit in formas mille discripta* (*descripta* MF). item *distringere,* non *destringere* dicitur de iis quae otium et animos hominum distrahunt: I 10, 9 *distringor officio;* 24, 3 *avocet magis quam distringat;* II 14, 1 *distringor* (*destringor* MV) *centumviralibus causis;* III 5, 19 *officia distringunt;* V 5, 3 *agendis causis distringeretur*; VII 15, 1 *distringor* (*destringor* M) *officio;* IX 2, 1 *distringebar plerumque frigidis negotiis;* 25, 3 *nunc me rerum actus modice sed tamen distringit* (*destringit* M); ad Trai. 19 (30) 1 *non exiguum militum numerum haec cura distringat*; paneg. 94 *non te distringimus votis.* eodem pertinet ad Trai. 9 (25) *tam districtum officium*, h. e. multis curis distractum. contra *destringere* significatione radendi ponitur III 5, 14 *dum destringitur* (*distringitur* D) *tergiturque;* paneg. 37 *destringi aliquid et abradi bonis;* et translata, ut videtur, a destricto gladio significatione, de qua Nipperdeius in Tac. ann. IV 36 dixit, IX 21, 4 *destricte minatus.* sed hic locus, qui est de formis vocabulorum ad fidem codicum et leges sermonis Latini exigendis, longiorem disputationem postulat, quam quae nunc institui possit. itaque quae de hoc genere disserere nobis propositum erat in aliud tempus differemus.

Restat ut Vos, commilitones humanissimi, hoc edicto certiores faciamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum illustrissimum et experientissimum

D. IOSEPHUM GERLACH

anatomiae et physiologiae professorem publicum ordinarium, ordinis S. Michaelis equitem

prorectorem suffragiis collegarum creatum, clementia Regis nostri Augustissimi confirmatum, translatum iri. Is eodem die hora XI in aula academica munus suum publica oratione rite auspicabitur. Ad quam orationem prompto lubentique animo audiendam Vos invitamus atque ut frequentia et observantia Vestra illa sollemnia concelebretis Vos admonemus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXV.

